Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2373
Quelle:
Copyright:

quae Luem Veneream jam Autoris aetate innuere videntur. De hac aetate ſtatui aliquid poteſt e *Cap.* 38. ubi *Urbanus* V. qui ab anno 1362. ad an. 1370. ſedit, dataque ab eo in honorem B. V. Mariae peccatorum Venia memoratur. E *Cap.* 46. *de Modo ſtudendi* vide, quales Libros norit et commendet Noſter:

Vocabularij ſunt varij et meliores conſcribantur
Brito breuilogus Huwicio tunc termini notificantur.
Etiam ſunt vocabularij iuriſtarum
Morborum et herbarum &c. Item:
In didaſkalkon hugo
Doctiloquium caſſandri ſecundum ordinem alphabeti
Diſtinctiones magiſtri ganffriedi
Diſtinctiones Johannis de aſia
Super iohannem placabilia (praedicabilia?)
Compendium theoloyce veritatis
Manipulus florum ad probandum per doctores maxime vtilitatis
Diſtinctiones magiſtri gronert et Gwydonis —
Epiſtolas pauli cum gloſa literali
Poſtillas ſancti frumencii
Liber conſolationis theologice contra turbata
Innocentium de vilitate humane miſerie correctiua
Bipartitum naturalium miſticatum
Lumen anime beati auguſtini magnum
Liber figurarum veteris et noui teſtamenti
Prolongat materiam predicanti &c.

Varia hic occurrent Bibliographo; vix tamen Scriptum Seculo XIV. recentius. *Compendium Theologicae Veritatis Hugoni de Argentina*, *Manipulus Florum Thomae de Hybernia*, *Conſolatio Theologiae Johanni de Tambaco*, *Figurae V. et N. T. Antonio de Rampegollis* debentur. *Lumen Animae* a *Math. Farinatore* Carmelita *Vienn.* an. 1477. ad *Auguſtana* Prela promotum non alibi vidi *Auguſtino* tribui. Quid vero *Poſtilla S. Frumentii?*

II. *fol.* 115. Varia Collectanea Theologica Praedicatoribus ad Sermones partiendos pro aevi more opportuna.

III. *fol.* 146. in Membrana: *Incipit modus confitendi et ſatisfaciendi.* Pag. praecedenti inſcriptum eadem manu: *Matheus de cracouia doctor valentiſſimus nec non Arcium liberaliſſimus inbutor preſens liber de decem preceptis et eorum obſeruacione et de diſtinctione peccatorum mortalium.* Licet itaque *fol.* 161. ubi de